[illegible]

DISSERTATIO PHILOLOGICO-EXEGETICA
EXHIBENS
SPICILEGIVM OBSERVATIONVM
DE
SERPENTE AENEO
SERVATORIS CRVCI AFFIXI
TYPO
NVM. XXI. 6-9. IOH. III. 14. 15.


QVAM
ANNVENTE SVMMI NVMINIS GRATIA
PRO LOCO
IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
RITE OBTINENDO

D. VII. APRILIS A. R. S. CIↃ IↃCC LVIIII
ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIENT

PRAESES
IOH. HENR. VINCENT. NOELTING
HAMBVRGENSIS
PHILOS. DOCTOR ET ORD. PHIL. ADIVNCTVS DESIGN.
ET RESPONDENS
IOHANNES LVDOVICVS SCHLOSSER
HAMBVRGENSIS
SANCT. LITT. CVLTOR ET SOCIET. TEVT. QVAE IENAE
FLORET SODALIS ORDINARIVS.

IENAE
LITTERIS STRAVSSIANIS.

[illegible]




PROOEMIVM



Nolo iam multus eſſe in enarrandis rationibus, quibus commotus hoc argumentum, in quo mea diſſertatio verſatur, prae aliis elegi eique notulas meas aſperſi. Ratio enim eſt in promtu. Scilicet quum propter multas cauſas praecipue iis ſtudiis, quae Philologiae orientalis nomine venire ſolent, me adhuc dicauerim et, ſi Deo viſum fuerit, amplius me dicare in animo conſtituerim, argumentum hoc mihi maxime arriſit, in quo tractando virium mearum licet tenuium leue quidem, periculum tamen, facere poſſem. Accedit, quod in praelectionibus meis Hermeneuticis paſſim obſeruaui, doctrinam de Typis in ſacris litteris occurrentibus, licet illa a magni nominis viris tradita ſit, forſan etiam amplius illuſtrari poſſe, neque ita exhauſtam eſſe, vt plane nihil iam de ea vtiliter dici queat. Atque haec eſt ratio, cur has meas obſeruationes tantum ſpicilegii inſtar iis addidi, quae ab aliis vberius ſunt praecepta, et varia miſſa feci, quae in hanc rem commode dici et imprimis ex hiſtoria litteraria potuiſſent afferri. Et, quod praecipuum eſt, ſectionem priorem maxime eam

ob causam praemisi, vt viderem, an, quod cepi, consilium aliquando perfici a me possit. Scilicet beat. s. i. BAVMGARTEN Elementa Hermeneuticae sacrae solidissime quidem sed succincte scripta illustrare atque regulas ad vsum reuocare dissertationibus quibusdam incepit, quae sub titulo Institutionum Hermeneuticarum prodiere. Sed praematura Viri summi mors filum operis abrupit, adeo vt vltima harum dissertationum vltra vicesimam Breuiarii hermeneutici paragraphum non pertingat, atque ergo tantummodo prolegomenorum et capitis primi explanatio exhibeatur. Optandum sane esset, vt vir ex omni parte in hoc negotio versatus et Baumgartenio dignus Institutionum harum Hermeneuticarum in se susciperet continuationem: cui quidem rei haud leue auxilium praebere possent praelectiones ipsius b. Viri in hoc breuiarium habitae, quae sine dubio, vt cetera eius scripta, mox lucem publicam videbunt. Licet ergo minime id mihi arrogem vt haec res tam commode, vti decet, a me tractari iam possit, tamen non omnino despero; sed, nisi eiusmodi continuatio ab alio instituatur, posthac operi huic me accingere animus est, modo vitam viresque largiatur summum, quod in coelis est, numen. Ne autem in suspicionem incurram temeritatis et arrogantiae, quam vtramque detestor, paucis hisce videre volui, quid valeant humeri, quid ferre recusent: qua quidem de re penes alios sit iudicium. Quod autem ad sectionem posteriorem attinet, plura de eius argumento, et quae sit instituti ratio, in ipsa tractatione dicendi locus erit. Quare prooemio meo, quod forsan iam modum excessit, finem impono, me meosque conatus B. L. eo, quo decet, animi cultu commendaturus.

DISSER-



DISSERTATIO
EXHIBENS
SPICILEGIVM OBSERVATIONVM
DE
SERPENTE AENEO
SERVATORIS CRVCI AFFIXI
TYPO.

SECTIO I.
DE SYMBOLIS IN SACRIS LITTERIS OCCVRRENTIBVS

§. I.



ymbolum eſt id, per quod alius repraeſentatio debet excitari. Hoc vero, cuius repraeſentatio per ſymbolum eſt excitanda, appellari poteſt *Antiſymbolum.*

Nota 1. Symbolum ergo 1) ſenſu percipiatur neceſſe eſt; 2) ab ente intelligente ad hunc finem adhibeatur; 3) talis ſymbolum inter eiusque antiſymbolum intercedat relatio, vt, quum illud ſenſu percipitur, huius repraeſentatio commode excitetur.

2. *Verba* generalissimo significatu vocantur signa quaeuis ad excitandas repraesentationes adhibita. Patet inde, quomodo symbola et verba inter se conueniant et quaenam sit *linguae symbolicae* seu *hieroglyphicae* ratio, de qua acute atque solide egit cel. IO. DAV. MICHAELIS *in dem Entwurf der Typischen Gottesgelahrheit Goett.* 1753. 8. cap. I. §. 1. ss.

3. Neque adeo insolens est linguae symbolicae in vita communi vsus. Afferam duo exempla notatu digna, alterum ex profana historia, alterum ex sacra, quorum illud excel. HERM. SAM. REIMARO, hoc excel. IO. GEORG. TYMPIO debeo, quibus duumuiris omni laude maioribus, praeceptoribus meis ad cineres deuenerandis, si quid est in me in his litteris ingenii, quod sentio quam sit exiguum, id certe omne acceptum refero. Scilicet Aristoteles, teste GELLIO Noct. Attic. l. XIII. c. V. quum moriens rogaretur a discipulis, vt ipse deligeret magisterii sui successorem, atque prae aliis ingenio, et doctrina eminerent Theophrastus Lesbius et Menedemus Rhodius, afferri iussit vinum et Lesbium et Rhodium. Et Rhodio quidem degustato: *Firmum*, inquit, *hercle, vinum et iucundum.* Petiit mox Lesbium; quo itidem degustato: *Vtrumque*, inquit, *oppido bonum, sed ἡδίων ὁ λέσβιος.* Id vbi dixit, nemini fuit dubium, quin successorem illa voce sibi elegisset Theophrastum Lesbium, hominem linguae pariter ac vitae suauitate insignem. Alterum exemplum relatum legimus 1 Sam. XX. 18-22. Ionathan, Sauli filius, pacto promisit Dauidi, se ipsi, quis sit patris sui in eum animus, indicaturum esse, idque hac ratione. Iussit Dauidem residere in valle iuxta lapidem Asel, seque illuc cum puero aliquo assumtis

arcu

arcu et sagittis venturum exspectare. Promisit se emissurum has sagittas, quasi ad metam eas proiiceret, atque puero suo dicturum: *Affer mihi sagittas, quas emisi.* Quodsi autem puero accursuro acclamaret: *Ecce sagittae horsum seu a tergo tuo iacent;* id signum Dauidi esse debebat, ipsum redire posse ad regem. Sin vero clamaret: *Ecce sagittae vlterius seu coram te iacent;* Dauides inde colligere debebat, sibi amplius etiam ab aula regia esse discedendum. Stetit ex pacto Ionathan, et Dauides ita admonitus ex praesentissimo mortis periculo, qnam ipsi Saul minatus fuerat euasit conf. v. 35. ss. Ex his exemplis et symbolorum et antisymbolorum ratio generatim cognosci, atque ea, quae breuibus de iis dicta sunt, nullo negotio poterunt illustrari.

§. II.

Haec de symbolo generatim. Iam de symbolorum discrimine etiam pauca verba facienda erunt. Quod vt rite et ordine fiat, distinguendum mihi videtur discrimen symbolorum ipsorum ab illo, quod repeti solet ex antisymbolorum, ad quae referenda sunt, discrimine. Quod attinet ad symbola ipsa, duo imprimis consideranda veniunt momenta, *primo* symboli in se considerati ratio, *deinde* relatio eius ad antisymbolum suum.

§. III.

In ipsius symboli quum inquirimus rationem, eius et naturam et existentiam inspiciamus necesse est, seu, quod idem est, quaeramus *primo* ad quas rerum species referendum sit, et *deinde*, num vere existat, an vero tantummodo imaginationis ope quasi vere existens repraesentetur.

§. IIII.

§. IIII.

Duplex eſt ſymbolorum ipſorum eorumque quoad naturam ſuam ſpectatorum ratio: vel enim ad vnam tantum rerum ſpeciem vel ad plures ſimul ſimul poteſt referri. Illud *ſimplex* hoc *compoſitum* audit. De illius diſcrimine potiſſimum agendum erit, quo perſpecto facile huius natura componi poterit.

§. V.

Symbolum igitur ſimplex aut eſt res animata ſ. viuum quid, aut non. Illud vocatur ſymbolum *perſonale*, hoc *reale*. Sic v. gr. ſummus ſacerdos ſymbolum perſonale fuit Meſſiae Hebr. VIIII. 11.

Nota. Duo imprimis hic obſeruari merentur, ſcilicet 1) ſymbolum perſonale non neceſſario ex eadem animatorum ſpecie eſſe debere, ex qua antiſymbolum eſt, modo ſit viuum quid. V. c. agnus paſchalis ſymbolum fuit Chriſti pro peccatis noſtris immolati 1 Cor. V. 8. 2) et ſymbolum reale adhiberi poſſe ad excitandam perſonae alicuius ſeu antiſymboli perſonalis repraeſentationem. Ita in exemplo ad §. 1. Not. 3. allato vinum Leſbium ſymbolum erat Theophraſti Leſbii, Rhodium Menedemi Rhodii. Itemque v. v. perſona poteſt conſtitui et accommodari in ſymbolum rei cuiusdam. Sic Hagar a Paullo Gal. IIII. 24. ſſ. accommodatur in Typum V. T. et ratio additur, quod vox Αγαρ in Arabia ſignificet montem Sina. Scilicet radix حجر ſignif. in coni. VIII. *lapidoſa fuit* (terra), et nomen ſubſt. حجر eiusque fem. حجرة *lapis*. Et ſane mons Sinai admodum petricoſus eſt, vti patet ex *Pocockii*

ckii Descriptione Orientis p. 143. ss. edit. Anglic. seu p. 228. ss. vers. germ.

§. VI.

Symbolum porro reale varium esse potest. Pro scopo autem nostro illud ita distinguamus, vt vel sit actio entis animati vel non. Illud vocatur *symbolum actionis* seu *actio symbolica* hoc *symbolum reale* in strictiori significatu sumtum. Tabernaculum v. c. et templum realia fuere oeconomiae salutis sub nouo foedere symbola, et introitus summi sacerdotis in tabernaculum ad spargendum sanguinem et suffitum faciendum symbolum actionis fuit negotii mediatorii Seruatoris quo redemtionem aeternam hominibus comparauit Hebr. VIIII. 11. 12.

§. VII.

Ex his quae §. V. et VI. dicta sunt, facillime, quae sit symboli *compositi* natura perspici potest. Quum nimirum factum aliquod ex persona, eius actione et huius obiecto, itemque vtriusque circumstantiis combinatum, atque adeo vt totum aliquod ex plurium partium combinatione confectum fuerit ad alterius cuiusdam facti repraesentationem excitandam, tum habebis symbolum *compositum* seu *totale*. Exempli loco sumi potest agni paschalis mactatio ac comestio ab Israelitis instituenda, et ritus, qui in hoc negotio obseruari debebant.

§. VIII.

Iam ad alterum illud, quod §. III. annotaui, momentum in symbolis considerandum progrediamur, et discrimen eorum, quod inde oritur, paullo curatius disquiramus. Symbolum scilicet aut vere seu, vti loqui amant, in rerum natura existit vt non h. e. imagi-

nandi

nandi arte tantum ita repraesentatur ac si existeret. Illud vocari solet *symbolum actuale* seu *typus*, hoc *symbolum fictum* seu *parabolicum*. Typi autem antisymbolum audit *Antitypus*. Typorum ergo exempla conspici poterunt in §§. praecedentibus; parabolicum autem symbolum exhibent v. c. septem vaccae atque septem spicae pingues et bonae aeque ac alia graciles et tenues, quae in somnio offerebantur Pharaoni ad praefigurandas septem annos, in quibus annona abundatura esset, nec non sequentes alios annos eiusdem annonae caritate et inde oritura fame funestros Gen. XXXXI. 1. ss.

Nota 1. Sermo, quo typus ipse proponitur hominibus, audit *sermo typicus*, ille vero, qui symbolum parabolicum proponit, *parabola* seu *sermo parabolicus* vocatur. Vtrumque vocabulum in sacris literis occurrit, sed non vno significatu. Nimirum *τυπος* varie quidem accipitur, vt videre est in locis a *Schoetgenio* in Lexico adductis: sufficit tamen, eius vsum non abhorrere ab isto, quem illi tribuere solemus, significatu, vti patet ex Rom. VI. 17. 1 Cor. X, 6. 1 Petr. III. 21. et Hebr. VIIII. 24. licet in vltimo loco vocabulum *αντιτυπος* non significet id, quod nos antitypum vocamus sed idem fit ac *τυπος*. Quod vero ad vocem *παραβολη* attinet, illa a rad. *παραβαλλω traiicere* v. gr. nauem ad littus oppositum maris aut fluminis Act. XX. 15. innuit *transitum ab vna re ad alteram* et metaph. *comparationem*, qua ad maiorem rei alicuius illustrationem mente transimus ad aliam ei similem et redimus ad applicandam, quam inde petiimus, similitudinem. Quae quidem generalior idea in omnibus illis significatibus locum habet, in quibus haec vox occurrit in N. Tto. Etenim significat 1) *comparationem*, *illustrationem ex simili* siue *expressam* Marc. IIII. 30. siue *latentem*

tem Luc. V. 36. ss. quo et referendum puto Marc. VII. 17. vbi sermo a Christo prolatus a discipulis pro parabola, hoc est, pro illustratione ex simili habebatur; 2) *sermonem parabolicum* seu *parabolam* in strictiori significatu Matth. XIII. 3. 10. 13. 18. 34. 35. Quid autem eiusmodi parabola est nisi declaratio rei alicuius petita ex alia re, ad eius similitudinem cum ratione efficta; 3) *adagium* Luc. IIII. 23. h. e. dictum, ad elegantius exprimendam rem generaliorem, petitum a re quadam specialiori sub generaliori illa contenta tritumque vsu continuo. 4) *sermonem rem aliquam exemplo illustrantem* Luc. XIIII. 7. vbi eadem fere ratio obtinet. 5) id quod nos vocare solemus *typum* Hebr. VIIII. 9. XI. 19. Marc. XIII. 28. h. e. repraesentationem rei alicuius in re alia vere existente, adeo vt illius ratio perspici commode possit et debeat transitu quasi attentionis facto ad huius conditionem, eiusque et inquisitione et applicatione instituta. Egregie autem vocis παραβολη significatio conuenit cum Hebr. מָשָׁל pro quo etiam a Mathaeo c. XIII. 35. coll. Ps. LXXVIII. 2. XXXXVIIII. 5. licet allegatione, quod ad hanc ipsam vocem attinet, liberiori, nec non a LXX Interpr. 1 Reg. IIII. 32. substituitur. Radix enim מָשַׁל proprie signif. *premendo* seu *imprimendo* vel *premente manu tractare* atque inde metaph. mox *dominari* h. e. quasi manum inhibere Prou. XVI. 32. mox *assimilare*, quasi similitudine formam alicuius rei curate exprimere Ps. XXVIII. 1. Es. XXXXVI. 5. Nomen ergo מְשָׁלִים ex posteriori radicis significatu suum significatum repetens denotat *similitudines* Iob. XIII. 12. *acutas et sententiosas dictiones, quas mentibus impressas volumus* Prou. I. 1. siue sint historicae Ps. LXXVIII. 2. ss. siue parabolicae Ex. XVII. 2. ss.

siue metaphoricae et allegoricae Num. XXVIII. 18. ss. XXIIII. 3. ss. siue etiam adagia 1 Sam. X. 12.

Nota 2. Symbolum parabolicum vel, si mauis, parabola, ita imprimis comparatum sit, necesse est, vt speciem veri habeat, adeo vt totum seu compositum symbolum parabolicum eo plane modo in rerum natura existere possit. In hoc enim latet discrimen parabolae a *fabula*. Licet enim in fabula actiones et facta cum ratione et verisimilitudine necti inter se et combinari debeant, tamen ea, quae τὸ materiale quasi fabulae constituunt, abhorrere possunt ab eo, quod actu fit. Possunt v. gr. bestiae, immo res inanimatae, cum ratione loquentes et agentes induci, id quod in parabola non item fiere licet. Admittit autem regula ista exceptionem, quando ab ipso DEo symbolum aliquod parabolicum hominum animis obiicitur. Quemadmodum enim DEus in ipsa rerum natura ea, quae naturaliter non fiunt, per omnipotentiam suam absolutam supranaturaliter efficere potest, ita et ipso non indignum est, tales actiones et effectus parabolice proponere, quae absque miraculo fieri haud possent. Huius rei vestigium praesto adest in parabolico Pharaonis symbolo, saltem quod ad spicas attinet.

Nota 3. Porro parabolae s. sermonis parabolici discrimen erit notandum. Is enim aut absoluitur sermone proprie sic dicto aut improprio h. e. vel visione ecstatica vel somnio. Si illud, parabola vocatae *parabola sermonis* si hoc *parabola* vel *visionis* vel *somnii*. Prioris exempla quamplurima occurrunt in N. Tto, eaque a Seruatore optimo maximam partem ad exhibendam regni coelorum i. e. oeconomiae salutis sub nouo foedere rationem prolata. Parabola

somnii

ſomnii v. c. etiam fuit ea, quae contigit Ioſepho Gen. XXXVII. 5. ſſ. de fratrum ſuorum manipulis erga manipulum ſuum ſeſe incuruantibus, deque ſole, luna atque vndecim ſtellis eodem cultu eum proſequentibus, quo vtroque ſymbolo ipſius dignitas praefigurabatur, ad quam in Aegypto euehendus erat; et vbi tam pater quam fratres ipſium venerari aeque ac ipſius auxilium implorare debebant Gen. XXXXI-XXXXVI. Denique et parabolae viſionis occurrunt nonnulla in litteris ſacris exempla. Ita v. c. Act. X. 10. ſſ. legimus, in viſione ecſtatica de coelo demiſſum et oblatum fuiſſe Petro linteum animalibus impuris refertum, vt de iis comederet. Quod vtique ſymbolum fuit ethnicorum et praecipuae familiae Cornelii miniſterio Petri aeque ac ceterorum apoſtolorum miniſterio ad puriorem coetum Seruatoris adducendorum.

Nota. 4. Denique ex iis, quae adhuc allata ſunt, *ſenſus ſymbolici* eiusque et *typici* et *parabolici* notiones facili negotio elici poſſunt, quibus enarrandis itaque merito ſuperſedemus.

§. VIIII.

Haec de eo ſymbolorum diſcrimine, quod obſeruamus attendendo ad ſymbola ipſa. Sed et ſpectari poteſt relatio ſymboli ad antiſymbolum ſuum (§. II.) Quam quidem relationem conſideremus tam quoad naturam quam quoad exiſtentiam ſuam. Natura huius relationis conſiſtit vel in nexu ſymboli cum antiſymbolo, eoque vel reali vel temporis et loci, vnde *ſymbolum naturale*, cuius exemplum eſt arcus, de quo mox plura, vel in ſimilitudine, quae ſymbolum inter et antiſymbolum intercedit, vnde *ſymbolum arbitrarium*.

§. X.

Ad exiſtentiam autem huius relationis quod attinet, illa eſt aut neceſſaria aut accidentalis; ſeu, quod idem eſt, ſymbolum aut ob ſolam eam rationem eumque in finem exiſtit, vt ſit ſymbolum alius rei, aut per ſe exiſtit, poſt autem ab aliquo ente intelligente ad aliud quid, vt eius ſymbolum conſtituat, accommodatur. Illud *ſymbolum merum* hoc *concomitans* audit.

Nota 1. Patet ergo, ſymbola parabolica eſſe ſymbola mera. Etenim parabola veri nominis id, quod enarrat, fingit, et eum quidem in finem, vt eius repraeſentatio excitet alterius rei repraeſentationem. Exiſtentia ergo, vt ita dicam, imaginaria ſymboli parabolici eiusque ad antiſymbolum ſuum relatio ſufficientem ſui rationem petit ex antiſymbolo, adeoque eſt neceſſaria; et plane illud non effictum fuiſſet, niſi ipſius auctor hunc finem ſpectaſſet.

Nota 2. Patet porro, ſymbola concomitantia vt talia ante certo cognoſci non poſſe, quam accommodatio fiat, et ab eo quidem, qui auctoritate pollet, ſeu qui vel ipſe ſymbolum aeque ac antiſymbolum diſponere poteſt, vel ſaltem mentem eius et finem in hoc negotio ſpectatum certo perſpicit.

Nota 3. Illuſtrari haec poterunt exemplis vtriusque ſymbolorum ſpeciei in ſcriptura ſacra obuiis. Typus v. c. merus fuit factum illud Ieremiae, quum iuſſu DEi lagenam figuli praeſentibus populo et ſacerdotum ſenioribus in valle ben Hinnom ſeu Topheth frangeret ad praefigurandum Vrbis excidium Ierem. XVIIII. 1. ſſ. Concomitantis autem typi exemplum ſiſtit arcus intra atmoſphaeram terrae conſpicuus poſt pluuiam. Etenim ille ſine dubio et ante diluuium

exſtitit.

exſtitit. DEus vero poſtmodum eum in ſymbolum conſtituit gratiae ſuae erga homines foederisque cum iis et omnibus viuentibus erecti, quo pollicitus eſt, ſe nunquam porro orbem terrarum eiusque incolas eſſe perditurum cf. Gen. VIIII. 9. ſſ.

§. XI.

Haec de ſymbolorum interno diſcrimine. Sed et vulgo aliqua eorum diſtinctio ſolet conſtitui, quae petita eſt ex diſcrimine earum rerum, ad quas tanquam antiſymbola ſua ſunt referenda, Quae quidem et quoad naturam ſuam et quoad exiſtentiam conſiderantur.

§. XII.

Natura antiſymbolorum conſiſtit in veritatibus ſeu dogmatibus per ſymbolum figurandis iisque vel theoreticis, ſeu quae aliquid eſſe docent, ſiue practicis, ſeu quae aliquid fieri ab hominibus iubent. Symbolum ergo, cuius antiſymbolum continet dogmata theoretica, ſymbolum *dogmaticum* in ſignificatu ſtricto, id vero, cuius antiſymbolum veritates practicas infert, *tropologicum* appellatur.

Nota 1. Vocabulum *dogma* hic accipitur in ſignificatu generaliori, vbi et veritates hiſtoricas ſub ſe complectitur, idque eam ob cauſam, quoniam in antiſymbolis vt totum aliquod et compoſitum ſpectatis vtriusque generis dogmata iunctim occurrere ſolent.

Nota 2. Symbolorum dogmaticorum exempla plura adfuere allata in praecedentibus. Symbolum autem tropologicum eſt v. gr. quod a Chriſto proponitur in parabola Matth. XVIII. 23-34. Conf. enim v. 35.

Nota

Nota 3. Denique et id obſeruandum eſt, denominationes has in caſu obuio fieri a potiori et a praecipuo, qui in ſymbolo aliquo ſpectatur, ſcopo. Alias enim ſaepe et theoretica dogmata et practica in vno ſymbolo, quando vt totum ſpectatur, occurrunt.

§. XIII.

Exiſtentia antiſymbolorum hic praecipue conſideratur in relatione ad ſymbola ſua, adeoque, quum antiſymbolum vel ante ſymbolum ſuum iam exſtiterit, vel eodem tempore cum eo coexiſtat, vel poſt illud demum ad actum ſit perducendum, triplex inde petitur diſcrimen in ſymbolum *praeteritorum*, *praeſentium et futurorum.* Futura autem quum vel in hac vita vel poſt eandem demum euentura ſint ſymbola hoc reſpectu in *prophetica* ſtricte dicta et *anagogica* ſolent diſpeſci.

Nota 1. Equidem confiteor, diſcrimen hoc in interna ſymbolorum natura nihil fere immutare. Sed dandum eſt aliquid vſui loquendi, praeſertim quum poſtremae denominationis vſus in ipſis ſacris litteris reperiatur Rom. V. 14.

Nota 2. Ad ſymbola praeteritorum referri commode poteſt celebratio ſabbathi ſeptimo hebdomadis die ad creationis opus eiusque in ſeptimo die ceſſationem itemque tranquillitatem populo Iſraelito poſt labores moleſtiſſimos in Aegypto domo ſeruitii a DEo conceſſam in animum reuocandam inſtituenda cf. Ex. XX. 8-11. Deut. V. 12-15. ſymbolum praeſentium fuit in V. T. diſtinctio purorum animalium ab impuris, qua ſumma animi cura ad vitandam ſpiritualem impuritatem debuit excitari. Symboli prophetici exemplum praebuit Seruator, quum diſcipulo-

rum

rum pedes lauaret, typum atque exemplar amoris mutui ipsis exhibens Io. XIII. 3-15. Denique parabola de agro a zizaniis tempore demum messis purgando symbolum exhibet separationis improborum a piis per iudicium extremum a Christo totius orbis terrarum iudice instituendae Matth. XIII. 24-30. coll. 36-43.

§. XIIII.

Hactenus de symbolorum natura et discrimine. Iam porro paucas de symbolis in scriptura sacra obuiis obseruationes addamus, et inter alia id praecipue notemus, quod ad eorum explicationem mox breuibus quoque tractandam, et speciatim ad scopum dissertationis maxime facit, qui in eo consistit, vt vera typi Mosaici, qui serpentem aeneum vt seruatoris cruci affixi symbolum exhibet, ratio curatius perspici possit.

§. XV.

Obseruemus ergo *primo*, Fundamentum sermonis symbolici et symbolorum ipsorum, quorum haud exiquas numerus in Sacris Litteris occurrit, repetendum esse non tantum ex possibili h. e. ex eo, quod rei alicuius repraesentatio per symbolum aliquod commode excitari possit, sed praecipuae ex ea Iudaeorum consuetudine, qua veritates praesertim abstractas ita sibi proponi cupiebant, vt et sensus atque imaginatio in iis percipiendis afficerentur et sese exsererent. Hanc enim loquendi rationem iam in Patriarchis obseruamus v. gr. in vltima benedictione Iacobi Genes. XXXXVIIII. Et, quod hic inprimis notatu dignum est, Aegyptios eius valde amantes fuisse testatur rex ipsorum, qui, ex quo somnia quaedem peculiaria habuerat, sta-

tim

tim aliquid ſymbolici illis ineſſe ſuſpicabatur, atque ad ea interpretanda omnes ſapientes Aegypti conuocari iubebat Gen. XXXXI. Conf. et c. XXXX. vbi eadem in miniſtris regiis ratio apparet. Quum ergo et Moſes in Aegypto ad aulam regiam educatus et ſapientia Aegyptiorum inde a tenerrima aetate inſtructus eſſet, atque porro Iſraelitae per tot annos commercium cum Aegyptiis habuiſſent intimum, facile haec docendi agendique methodus ad eos transire ipſisque familiarior reddi potuit.

Nota. Abſit vero, vt faueamus hypotheſi illi Spencerianae, quae ſine dubio in exceſſu peccat et diſertis ſcripturae ſacrae verbis repugnat, quibus DEus ſerio Iſraelitis interdixit, peregrinorum populorum ritus et ſtatuta affectare.

§. XVI.

Obſeruemus *porro*, verba illa, quibus ſymbola proponuntur, mox proprio ſignificatu mox metaphorico fuiſſe adhibita, adeoque nec ſignificatum proprium cum litterali nec metaphoricum cum ſymbolico confundi debere. Docet hoc ipſa rei conſideratio. Aliud enim prorſus eſt fundamentum diſtinctionis ſignificatus proprii ab improprio et ſpeciatim metaphorico, aliud, quo nititur diſcrimen litteralis ſignificatus a ſymbolico. Illud inde petitur, an idea per vocabulum ita ſignificetur, vt ad illam denotandam primum confictum ſit, an vero non. Hoc vero in eo latet, an idea haec offerat obiectum per ſe vel vt ſymbolum alterius porro obiecti ſpectatum. Vbi autem fundamenta diſtinctionis diuerſa ſunt, ibi et ipſae diſtinctiones diuerſae ſint neceſſe eſt. Vnicum tantummodo exemplum afferam, quo haec, quae iam dixi magis illuſtrari poterunt. DEus Moſen iuſſit curare, vt conficeretur כַּפֹּרֶת idque arcae foederis

impo-

imponeretur Ex. XXV. 17. 21. Quodsi iam inquirendum est in vocis significatum, is repetendus erit ex rad. כפר quod in Kal signif. *pice obducere* Gen. VI. 14. in Piel autem, ex qua coniugatione hoc nomen formatum est, *expiare* sc. peccata, delicta, quasi operire, ne a DEo iudice seuerissimo conspiciantur, puniantur que cf. Ex. XXX. 10. Gen. XXXII. 20. Ergo nomen optime redditur: *Operculum expiatorium.* Qui quidem significatus illustratur atque confirmatur amplius per vsum illum, cui hoc operculum erat destinatum. Scilicet sacerdos summus in die expiationis aliquid sanguinis iuuenci aeque ac hirci in sacrificium piaculare offerendi spargere versus hoc כפורת eoque expiationem instituere debebat peccatorum, quae forte per annum praecedentem fuerant admissa Leu. XVI. 14. ss. Hic ergo est verus isque proprius vocis huius significatus scil. operculum, cum quo actio illa expiatoria in festo expiationis erat instituenda, quoniam ad hanc ideam exprimendam vocabulum hoc efformatum fuit. Sed ipsa haec significatio propria simul symbolica et quidem typica fuit. Etenim operculum hoc typice se referebat ab Christum seruatorem, qui per sanguinem suum expiationem totius mundi et omnium peccatorum erat instituturus, ceu patet ex Hebr. VIIII. 5. coll. Rom. III. 24. et Hebr. IIII. 16. Quum ergo in vno eodemque vocabulo sub iisdem circumstantiis propria simul et symbolica significatio locum habere possit, sequitur, nec propriam significationem cum litterali nec metaphoricam cum symbolica pro vna habendam esse. In quem errorem et ii incidere videntur, qui mediatum seu symbolicum sensum in typicum, allegoricum et parabolicum dispescunt.

§. XVII.

Notemus *tertio*, vnicitatem sensus scripturae sacrae neutiquam tolli, quum asserimus, verba praeter immediatum seu literalem sensum simul et mediatum seu symbolicum sensum habere posse. Facile hoc liquet, modo haec regula: Verus S. S. sensus vnicus est, rite intelligatur. Id enim ea infert: Verba in sacris literis obuia non possunt simul ideas plures significare, quarum vna alteram tollit. Quem quidem sensum recte huic regulae tribui, patet ex illis rationibus, quibus ea demonstratur, nimirum quia impossibile est, vt auctor in animo habuerit per eadem verba in nexu proposito plures cogitationes, quarum vna alteram tollit, excitare, et deinde, quia alioquin certitudo sensus S. S. infringeretur. Iam vero sole clarius est, significatum literalem et mediatum plane non inuoluere huiusmodi ideas. Etenim vocabulum in significatu literali sumtum exhibet ideam tantummodo rei per se spectatae; accedit significatus symbolicus, i. e. eadem res vt symbolum quoque alius rei spectat. Manet ergo eadem idea, sed perficitur et quasi complemento externo, relatione scilicet ad aliam rem vt suum antisymbolum, intenditur. Ergo quum harum idearum altera alteram plane non tollat, neque certitudo sensus S. S. hac ratione infringatur, quoniam non pro lubitu fingere significatum symbolicum licet, sed ille ex certis rationibus, vt mox videbimus, probari debet; consequens est, vnicitatem sensus S. S. etiam in sensu symbolico saluam manere. Alia prorsus ratio est in sensu proprio atque improprio, qui plane non ita consistere possunt, vt iisdem verbis simul intendantur; sed, vbi proprius sensus obtinet, de improprio simul cogitari nequit et v. v. Exemplum addo. Ioannes seruatoris praecursor Matth. III. 7. Pharisaeos et Sadducaeos vocat γεννήματα ἐχιδνῶν. Quae quidem expressio

sine

ſine dubio metaphorice ſignificat *homines viperis natura maligna ſimiles*, atque adeo propria ſignificatio progeniei viperarum hic prorſus exſulare debet, quippe quae cum impropria vni eidem ſubiecto ineſſe nequit.

§. XVIII.

Quarto obſeruemus, ſymbolum arbitrarium (§. VIIII.) in iis praecipue momentis conuenire cum antiſymbolo quae ad ſcopum ſpectant, hancque ſimilitudinem et ſufficere et ſaluam manere, licet in aliis momentis prorſus ab eo diſcrepet. Nimirum ſymbola eo fine adhibentur, vt praecipuae quaedam alius obiecti affectiones ſenſuali et emphatica ratione animo offerantur, quod quidem in ſymbolo arbitrario ita fit, vt ſimiles affectiones in eodem conſpicuae attendantur et imaginis inſtar ad antiſymbolum referantur et applicentur. Quum ergo ſymboli huius ſcopus non ſit extendendus ad totum antiſymbolum, nec in ſymbolo omnes omnino affectiones cum antiſymbolo conuenire neceſſe ſit, diuerſitas ſymboli ab antiſymbolo in ceteris omnibus momentis nihil plane nocumenti infert, quoniam ad illam non attenditur V. g. Agni in ſacrificium piaculare offerendi typi fuerunt Chriſti pro peccatis hominum immolandi Io. I. 29. Quaeritur iam, in quo conſiſtat ſimilitudo agni cum Chriſto ſeruatore. Reſpondetur: Quodſi cetera mittimus, quae in omnibus ſacrificiis ſymbolica ſunt, id imprimis hic ſpectari debet, quod in agnis ad lanienam adductis eminet, ſcilicet tranquilla et morigera ipſorum ratio qua ſeſe non opponunt ſed patienter obiiciunt lanioni. Fiat applicatio ad Chriſtum: Ille Seruator optimus perſecutiones et cruciatus ſummos immo et crudeliſſimam mortem patienter ſubibat, et licet poteſtatem ſummam haberet, omnes inimicos ſuos proſternendi et e tribula-

 tioni-

tionibus eundendi omnibus, tamen patri suo obedientem se praestabat ad mortem vsque crucis Phil. II. 8. Habes ea, quae absque omni dubio in hoc typo fuere spectata, et ad quae Iesaias propheta respicit c. LIII. 7. Sed obseruemus quoque differentiam in hac ipsa re, eamque magni momenti: Agnus ad lanienam ducitur nescius, mortem sibi parari ab lanione, quam si praeuideret, forte et sese opponeret. Christus vero certissime sciuit, cruciatus summos ipsamque mortem sibi imminere: et nihilominus sponte se ipsis dabat, amore erga miseros alioquin homines ductus, et sic patris sui coelestis voluntatem exsequebatur. Sed hoc discrimen non impedit, quo minus salua maneat agni vt typi relatio ad seruatorem vt antitypum suum.

§. XVIIII.

Obseruemus *quinto*, symbolum et antisymbolum quandoque inter se commutari et ita pro se inuicem substitui posse, vt id, quod primum symbolum fuit alius obiecti, alio tempore antisymbolum eiusdem vti symboli sui euadat; id quod praecipue in symbolis praeteritorum et futurorum locum habet. Exemplum dabo: Opus creationis, quod a Deo pro omnipotentia sua vno momento peragi potuisset, confectum fuit sex diebus, et septimus dies fuit primus, in quo cessauit Deus a creando. Huic et eapropter peculiariter benedixit h. e praecepit, vt ad illius diei et operis creationis, quod praecesserat exemplar hic dierum ab hominibus ordo constituatur, vt sex priores laboribus septimus cultui sacro dicentur Gen. II. 2. 3. Igitur prima illa septimana typus fuit septimanarum sequentium. Iam autem vice versa hae hebdomades et in specie sabbathum septimo hebdomadis die celebrandum a Deo constituta fuere in typum praeteritorum, scilicet hebdomadis

madis et sabbathi primi. Etenim Exod. XX. 8-11. Deus diserte hunc dierum ordinem obseruari, et septimum in specie Deo sacrari iussit in memoriam eius, quod ipse sex diebus coelum et terram, i. e. vniuersum hoc, creauit, septimo autem die cessauit a creando.

Nota. Obiter obseruo, ex hoc exemplo liquere, regulam illam, quam aliqui tradunt, non vniuersalem esse, quod antitypus excellentior esse debeat typo suo.

§. XX.

Denique *sexto* et id obseruatu dignum videtur, typos sub oeconomia vetere adhibitos rarissime quidem in V. T. magnam vero partem in N. T. a Christo et apostolis explicari. Nolo in hac re copiosior esse, quum ipsa Codicis sacri lectio id satis probet, et in eo, quod forte hic moneri possit, otium mihi fecerit cel. MICHAELIS l. c. c. I. §. 4. Id vnicum addo, hanc typorum interpretationem non vna ratione institui a Christo et apostolis. Etenim illa quandoque fit disertis verbis, vti in Ep. ad Hebr. passim; quandoque vero instar comparationis typus accommodatur ad antitypum v. gr. Io. III. 14. vbi tamen sole clarius est, neutiquam meram similitudinem intercedere inter serpentis aenei erectionem et exaltationem seruatoris in cruce, de qua mox plura. Interdum haec typi relatio innuitur denominatione typi translata ad eius antitypum, vti 1 Cor. IIII. 7. Hebr. IIII. 14. Quocunque autem modo haec interpretatio fiat, illa semper pro authentica est habenda, modo eius sensum recte intellexerimus, et ipsa rei ratio commode huiusmodi applicationem admittat.

§. XXI.

Reliquum eſt, vt in ſectione hac generaliori *Regulas* quasdam notemus breuiter, quibus adhibitis explicatio ſymbolorum eorumque applicatio rite inſtituitur, neglectis vero in difficultates, ex quibus euadere haud poterimus, implicamur. Faciles quidem ſunt perſpectu et ſine magno labore ex antecedentibus eliciuntur: ſed quoniam in ſectione ſequenti earum vſus neceſſarius eſt, non plane ſuperfluum mihi videtur, eas nunc recenſere.

§. XXII.

Inuoluit autem interpretatio ſymbolorum haec imprimis momenta, vt diſtincte perſpecta ipſius ſymboli ratione oſtendatur, 1) quid ſit eius antiſymbolum; 2) quis ſit ſcopus ille, propter quem ſymbolum fuerit adhibitum; 3) ad quas affectiones ſymboli et antiſymboli praecipue attendatur; 4) commodam inter eas relationem concipi poſſe; et 5) quomodo hac ratione foecunditas ſenſus ſcripturae ſacrae declarari et promoueri poſſit. Quorum quidem momentorum poſteriora, prioribus rite expoſitis, facili negotio perfici poſſunt. Sufficit igitur, eas regulas adducere, quibus duo priora momenta detegere, eorumque, quantum fieri poteſt, ratio perſpicere licet.

§. XXIII.

Regula 1. Interpretatio ſymbolica nitatur, neceſſe eſt, vel in interpretatione authentica, vel, vbi haec deficit, in ipſius ſymboli natura, vel etiam eius cum aliis ſymbolis analogia. Interpretatio authentica generatim primum atque certiſſimum eſſe omnis noſtrae interpretationis fundamentum, tam notum eſt

quam

quam quod notissimum: adeoque et in hac re primum de ea simus solliciti. Sed quum saepissime ab ea destituamur, ad ipsius symboli considerationem erit confugiendum et disquirendum erit, num illud forte eiusmodi sit, vt eius in hoc rerum nexu existentia siue superflua siue DEo parum digna videatur, nisi illud in alterius symbolum ab eo constitutum fuerit. Hunc denique laborem excipit ille, qui versatur in detegenda et applicanda obiecti alicuius cum aliis analogia, quae omnino pro symbolis haberi debent. Quod vt rite fiat, et ipsius populi Israelitici et aliarum gentium, imprimis vera Aegyptiorum, ritus et consuetudines consulendos esse docuit MICHAELIS l. c. §. 15.

§. XXIIII.

Reg. 2. Symbolum qua totum et in nexu spectatum ad vnum tantummodo antisymbolum referendum est, licet forsan aliquod momentum in eo occurrens per se spectatum mox in huius mox in alius obiecti symbolum constitui possit. Nolo explicandae ac determinandae illustrandaeque huic regulae immorari, re ea repetiisse videar, quae hac de re fusius dicta sunt a laudato MICHAELIS l. c. §. 13. Eam solummodo ob rationem illa est a me allata, vt, quae iam sequitur, regula, eo commodius perspici possit.

§. XXV.

Reg. 3. Symbola varia, licet similia sint, plane non confundantur, nisi aliunde clarum sit atque perspectum, eamdem ad vnum antisymbolum esse referenda. Quae quidem regula ideo obseruari meretur, ne plus, quam par est, ex analogia inferamus, cuius, vt principii interpretationis symbolorum, mentionem feci ad §. XXIII.

Etenim vt in omni interpretatione ita et in hoc negotio, vbi ex analogia concluditur, vtriusque symboli nexus est conferendus, et nihil ipso siue relicto siue reluctante pro vero est accipiendum. Hanc obseruationem illi negligere videntur, qui obiectum aliquod pro symbolo alterius obiecti agnoscere in casu obuio ideo nolunt, quia illud in aliis S. S. locis nonnunquam eam rem metaphorice denotat, cuius notio haud commode conciliari poterit cum illo antisymbolo. At vero illi et per instantiam, ni fallor, refutari possunt. V. gr. Amos I. 4. vaccae Basaniticae metaphorice denotant homines opum abundantia pingues, ferocientes et iniuriose proteruos. Nihilominus vacca rufa symbolum fuit Messiae cf. Hebr. VIIII. 13. 14. Hirci Matth. XXV. 32. 33. metaphorice significant improbos, et tamen, hircum quoque in symbolum seruatoris diuinitus constitutum fuisse, testatur idem Paullus l. c. Vtrobique autem nexus plane diuersus est ab eo, in quo haec animalia vti symbola considerari debent, et vt talia constituta fuere; adeoque ex hoc principio concludendum, non autem imaginationi concedendum est, vt ideas admisceat plane huc non pertinentes.

§. XXVI.

Reg. 4. Scopus praecipue in symbolis est attendendas, adeoque et similitudo eius cum antisymbolo secundum scopum quaerenda neque vlterius extendenda est. Prono quidem alueo haec regula fluit ex iis, quae ad §. XVII. fuere notata. Videmus tamen haud raro, homines ingenii lusu seductos in hac re peccare, neque omnia rite peregisse sibi videri, nisi et minima symboli momenta et antisymbolum transtulerint applicarintque. Quo autem id fiat iure, facile ei erit perspectu, qui perpendit, medium generatim, qua medium, tantummodo

do ob finem ſpectatum ad actum perduci, atque ergo ex eo vt ratione ſua analytica explicandum et diiudicandum eſſe. Iam vero ſymbolum eſt medium, quod adhibetur ad commodius declarandas obiecti alterius affectiones; Ergo ex ſcopo hoc rite fixo ſimilitudo ſymboli eum antiſymbolo erit determinanda. Interim hac ſimilitudine bene perſpecta et applicata, quo negotio ſumma et caput rei conficitur, poſtmodum quoque, exercitii gratia, hunc laborem continuare et disquirere licet, an et in ceteris ſymboli eiusque antiſymboli momentis ſimilitudo aliqua detegi poſſit: modo illa vtriusque obiecti naturae ne refragetur, neque altius, quam par eſt, ſit petita.

SECTIO II.

DE SERPENTE AENEO CHRISTI CRVCI AFFIXI TYPO.

§. XXVII.

Antequam typi huius rationem expono, atque applicationem inſtituo eorum, quae §. XXII. dicta ſunt, obſeruatis iis, quae §. XXIII. ſſ. in hoc negotio obſeruanda attuli, id praecipue monendum eſt, me totum hanc rem exhaurire, et omnia, quae huc pertinent, excutere nolle. Quodſi enim id agere mihi animus eſſet, magnam partem acta egiſſe viderer, quum typus hic a multis magnisque viris dudum tractatus ſit, inter quos eminent b. CAMP. VITRINGA *Obſeruationum Sacr.* l. II. c. X. et S. V. CASP. IAC. HVTHIVS in Progr. quod inſcribitur: *Serpens exaltatus non contritoris ſed conterendi imago* Erl. 1758. Hi enim viri famigeratiſſimi, quorum ſcripta in omnium, quibus Philologia ſacra curae eſt cordique, manibus verſantur, omnia fere, quae in hac re dici

 poſſunt

possunt et merentur, in medium attulere, ita vt vix aliquid sit, quod ipsorum obseruationibus addatur. Vnica tamen in iis occurrit sententia eaque recentior, quae vlteriori disquisitione indiget, antequam ei assensum praebeamus: praesertim quum rationes, quibus illa nititur, non adeo sufficientes videantur. Nimirum statuunt viri summi cum paucis aliis, quorum indicem ipsi dedere, serpentem aeneum a Mose exaltatum typum quidem esse, non vero Seruatoris cruci affixi, sed potius diaboli, qui cum eo in cruce dimicarit et ab ipso per mortem victus exhibeatur. Quae quidem sententia, licet authenticam Christi interpretationem Io. III. 14. 15. consideranti vt παραδοξον spectari possit, tamen et a VITRINGA et ab HVTHIO multis rationibus est stabilita, quorum vel numerus ad plus quam viginti assurgens eam extra omnem dubitationis aleam posuisse videri potest. Sed liceat mihi, quae ab ipsis in hanc rem proposita sunt, paullo curatius expendere, et meas cogitationes, qualescunque demum sint, iis adiungere. Non enim vereor, ne quum contra tanti nominis viros pugnare audeam, in suspicionem incurram temeritatis: siquidem in republica eruditorum, conscientiae, vt aiunt, libertas vnicuique conceditur, modo limites modestiae ne excedat. Equidem spondeo, me omnem curam atque solicitudinem in eo collocaturum, vti idem limites et a me obseruentur; et ne vnicum verbum proferam, quod reuerentiae, quam tantis viris debeo, non conueniat. Neque etiam difficile erit, promissa seruare, quum semper, modestiae studium tum omnibus tum praecipue iuueni summo decori esse, existimarim, atque ergo et mihi honori duxerim, modestiae studuisse. Igitur ad rem accedo, argumenta virorum summorum eodem, quo ab ipsis proposita sunt, ordine examinaturus.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Primum ergo argumentum, quod quidem VITRINGA l. c. §. XI. p. 426. ſ. tanti non facit, cui vero maximam robur ineſſe putat S. V. HVTHIVS p. 10-15. a quo et in quinque peculiares rationes eſt reſolutum, huius eſt tenoris: „Non decet DEum, Chriſtum ſub ſchemate ſer„pentis proponere, quoniam 1) ſerpens eſt animal ve„nenatum et maxime nociuum; 2) ille in ſacris litteris „paſſim, imprimis autem Gen. III. 15. pro emblemate „diaboli vſurpatur, ita vt eius imago tam infamis eius„que intuitus tam horribilis reddita ſit, vt valde incon„uenienter pro typo Seruatoris, quem cum fiducia vt „fundamentum ſalutis aſpiciamus, habeatur.„ Reſpondeo: 1) Ex iis, quae §. XVIIII. dixi, ſatis, ni fallor, liquet, in omni ſymbolo etiam arbitrario diuerſitatem obtinere ab antiſymbolo, eam vero plane non attendendam eſſe, quippe ad ſcopum non pertinentem. Accedit 2) Serpentem aeneum tantummodo ſerpentis formam externam habuiſſe, plane autem veneni fuiſſe expertem. Iam vero externa ſerpentum forma nunquam hominibus infamis et nociua fuit, ſed tantum eorum venenum humano corpori eſt mortiferum. Poſſet forſan et id vrgeri, ſerpentes per ſe non eſſe animalia adeo horrenda eosque haud minimum in hoc mundo vſum praeſtare. 3) Serpentum in Sacris litteris mentio fit ſatis honorifica, neque in omnibus locis, vbi ea occurrit, illi pro emblemate diaboli haberi poſſunt. Idem S. V. HVTHIVS perſpexit, adeoque omnem operam in eo impendit, vt loca haec hypotheſi ſuae accommodaret. V. gr. Matth. X. 16. vbi verba: γίνεϑε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις reſpicere putat ad ſerpentes naturali prauitate callidos, eosque proinde ſymbolum filiorum diaboli exhibentes; Quare, ne hoc dictum peruerſe intelligatur, Seruator adiecerit: *ſed et ſimplices eſtote vt columbae.* At vero, quum ea conſidero, quae immediate

praecedunt: *Ecce ego mitto vos vti oues inter lupos*, ita omnino dictum Seruatoris intelligendum puto: Vos apostoli insidiis et persecutionibus variis hominum improborum fietis obnoxii: igitur callidi sitis more serpentum, qui difficillime capiuntur et agiliter in gramine prorepentes callide ex insidiis, quae ipsis sternuntur, euadunt, nec non inter rupium fissuras aspidas et horridas mirabiliter ita sese torquent, vt nullum inde damnum accipiant (cf. Prou. XXX. 19.) i. e. cauete vobis omni modo, ne aduersarii contra vos aliquid valeant. Attamen neutiquam id ita intelligatis, ac si vobis liceat fraudulenter agere et v. gr. ad euitandas persecutiones, quin et ipsam mortem, veritatem silere vel incrustare, atque pro ratione temporis aliter loqui alite cogitare. Absit! Ne duplices sitis sed simplicitati omnino studeatis, imitatores columbarum omnis astutiae expertium et simplicissimarum. Quod autem ad cetera loca ab ipso HVTHIO siue vberius exposita siue tantum excitata attinet, ea nunc mitto, quoniam argumenti per inductionem exemplorum facti vniuersalitas vel vnico exemplo in contrarium infringitur. 4) In serpentibus non semper prauitatem aliquam siue naturalem siue adeo diabolicam spectari, vel ex eo elucet, quod idem nomen שָׂרָף quod voci נָחָשׁ additur, et speciem serpentis scil. *chersydrum* denotat, in numero plurium etiam significat angelos Ies. VI. 2. 5) Maledictio serpentis seductoris quum, affirmante ipso Viro S. V. non feriat serpentem naturalem sed diabolum, non video, quomodo hac ratione imagini serpentis nota infamiae sit inusta, praesertim quum nondum demonstratum sit, neque ex Gen. III. 1. id necessario fluat, serpentem illum fuisse verum et naturalem serpentem. 6) Quodsi hircus ideo vt imago Christi sisti potest, quia non erat ex omni parte abominabilis, quidni et serpens? Serpentes enim prorsus abominabiles esse, neque vllum in

hoc

hoc vniuerſo vſum praeſtare nemo affirmabit, niſi qui hiſtoriae naturae plane eſt ignarus: taceo, quod ſapientia diuina indignum foret, eiusmodi animalia conſeruare. 7) Quando denique Vir S. V. affirmat, ſerpentem ex proteuangelio nunquam aliter cogitari poſſe quam conterendum nec vnquam in contritoris imaginem conuerti, id repeto quod §. XXIIII. dixi, ſymbola in diuerſis Scripturae S. locis occurrentia, etſi ſimillima, probe tamen diſtinguenda eſſe, niſi vtriusque loci contextus, eandem et ſymbolorum et antiſymbolorum rationem eſſe euidenter vrſerit. Neque ſimilitudo inter vtrumque ſymbolum adeo magna intercedit, quando rem curatius expendimus; qua de re in ſequentibus amplior dicendi locus erit.

§. XXVIIII.

Alterum argumentum, quod eſt VITRINGAE §. XI. p. 427. „inde petitur, quod inconueniens durumque dictu „eſſet, in vna eademque hiſtoria ſerpentes vrentes ima„ginem diaboli, et ſerpentem aeneum Chriſti imaginem „eſſe.„ Sed 1) Nondum ita euictum credo, cherſydros hic eſſe ſymbolum diaboli, vt id pro re indubia accipere cogamur, praeſertim quum ſcopus hanc hypotheſin non neceſſario requirat. Quodſi enim rem curatius perpendimus, hic totius negotii ſcopus a DEo ſpectatus fuit, vt Iſraelitae ſummo malo preſſi et in praeſentiſſimo mortis periculo conſtituti fiduciam plenam in DEo collocarent, atque, quum remediis naturalibus omnino deſtituerentur, neque ſolo adſpectu ſerpentis aenei ſanari naturaliter poſſent *, tamen voluntati diuinae morigeros ſeſe praeberent, atque firmiter ſibi perſuaſum haberent, DEum cum hoc aſpectu medelam coniunctorum eosque ſanaticum eſſe. Id toti nexui optime conuenit et praecipue v. 5. ex quo elucet, Iſraeli-

tarum

tarum murmurationes potiſſimum ex eo profectas eſſe, quod auxilio diuino diffiderent, neque crederent, DEum eos amplius conſeruare poſſe, quum et cibus et aqua deficere incepiſſet. Sufficit ergo, huius fiduciae antiſymbolum in fiducia illa reperiiſſe, quam peccatores aeternae mortis ſupplicio obnoxii in Seruatorem ſimili ratione cruci affixum collocare ex mandato et promiſſionibus diuinis debent. Non itaque neceſſe eſt, omnia, quae in illo facto occurrunt, excutere, et cherſydrorum mordentium antiſymbolum in diabolo quaerere, qui morali quaſi morſu animum veneno peccati affecerit. Verum quidem hoc eſt et eleganter dicitur: at vero inde non ſequitur, in negotio illo typico hunc praeciſe reſpectum factum fuiſſe. Neque credo, quemquam id ſerio ex eo probare velle, quod Iſraelitae rogabant Moſen, vt ſupplicaretur DEum, vt auferret את־הנחש in numero ſingulari, quo ipſo reſpexiſſent ad ſerpentem illum ſeductorem **. Nemini enim ignotum eſſe poteſt, numerum ſingularem ſaepiſſime collectiue pro omnibus aut pluribus eiusdem ſpeciei ſumi. 2) Sed ponamus, cherſydros illos imaginem exhibuiſſe diaboli, tamen tota res inde nondum erit confecta. Concedo, durum dictu fuiſſe, vt ſerpens in eadem hiſtoria mox diaboli, mox Seruatoris ſit ſymbolum, ſi DEus Moſen iusſisſet ſumere vnum de ipſis illis cherſydris, quibus lethaliter vulnerati erant Iſraelitae, eumque in pertica erigere, vt ipſius aſpectu ſanarentur. Sed hic ſerpens fuit aeneus adeoque ſola forma externa ipſis ſimilis, nihil vero quoad eſſentiam et internam rationem commune cum iis habuit. Quodſi autem quaeris, cur DEus non aliam figuram elegerit, reſpondeo *primo*, DEum huius rei rationes ſine dubio ſapientiſſimas habere potuiſſe, etſi illae a nobis non plane perſpiciantur; et *deinde* forſan id eo fine factum eſſe, vt fiducia Iſraelitarum eo firmior euaderet, dum et illam dubitationem ſuperare

rare

rare debebant, quae ex eo oriri poſſet, quod ſerpens aeneus figura ſimilis erat ſerpentibus illis venenatis, atque in eo aſpiciendo imaginatio facile notionem admiſcebat venenatae cherſydrorum affectionis.

* Quod quidem quum omni dubio careat, manifeſtum eſt, medelam, quae nihilominus Iſraelitis afferebatur, omnino miraculoſam fuiſſe. Neque neceſſe eſt, vt ad augendam huius miraculi grauitatem et gloriam ad ſententiam Iudaeorum confugiamus, quaſi aes ipſum alias hominibus a ſerpentibus morſis mortem ſubito afferret, ex quo illud aſpicerent. Ita enim R. D. KIMCHI in *Sepher ſchoraſchim* ad Rad. נחש inquit: אמרו חכמי הרפואות כי אדם אשר ישכנו הנחש ויראה הנחושת מיד מת לפיכך אמר הקדוש ברוך הוא למשה עשה לך נחש נחושת והיה כל הנשוך וראה אותו וחי בהפך טבע העולם להגדיל הנס וכ׳ו *Dicunt medici, hominem, quem morſu appetiit ſerpens, quodſi aſpiciat aes, extemplo mori: Eapropter Sanctus Benedictus Ille dixit Moſi: fac tibi ſerpentem aeneum, et fiet, vt omnis qui morſus fuerit et aſpiciat illum, viuat. Scilicet in oppoſitione ordinis naturae huius mundi, vt eo maius efficeret miraculum etc.*

** Equidem non ignoro R. BECHAI ad Num. XXI. 7. Comment. fol. 176. fac. I. col. 2. lin. penult. edit. Venet. idem illud ex hac ratione affirmare. Ita enim ad verba haec: *Ora Iehouam vt remoueat a nobis ſerpentem*, commentatur: היה לו לומר הנחשים אבל הזכירו בלשון יחיד כי ירמוז לנחש שלמעלה הוא הכוח הממית הוא שר המדבר ששם דירת הנחשים השרפים וכ׳ו *Dicere debuiſſet* (populus:) SERPENTES, *ſed adhibet illud* (vocabulum) *in ſingulari. Etenim reſpicit ad ſerpentem illum de*

quo

quo supra. Ille ipse est vis occidendi, et princeps deserti, quoniam ibidem est commoratio serpentum chersydrorum etc. Sed nec huius interpretis auctoritate commoueor, vt emphasin hic latere credam, vbi nullae aliae adsunt rationes, quae illam requirunt.

§. XXX.

Tertium argumentum idque a VITRINGA l. c. §. XII. et XIII. allatum, in eo consistit, „vt ipsi magis conue„niens videatur, serpentem aeneum accipere vt sym„bolum diaboli quasi cum Seruatore cruci affigendi et „ab eo vincendi, praesertim quum hac ratione symbo„lum optime conueniat cum allegoricis illis dictionibus „quibus proteuangelium exhibitum fuit.„ Respondeo 1) Symbolum hoc forsan commode ita explicari potuisse, nisi authentica Seruatoris interpretatio eam explicationem maxime incommodam redderet. Verba Christi sunt planissima: id quod vberius elucet, quando prioris propositionis constructionem conuertimus ita: *Quemadmodum serpens in deserto exaltatus est a Mose, ita oportet filium hominis exaltari.* Neque credo, VITRINGAM ipsum vnquam aliter interpretaturum fuisse hoc dictum, quam vulgo fit, nisi hypothesis ob ceteras, quas attulit, rationes recepta suam explicationem seu potius accommodationem necessariam fecisset. 2) Mihi vel maxime incommodum videtur, serpentem aeneum, qui in hoc negotio typus personalis et praecipue conspicuus fuit, pro typo habere obiecti, quod in crucifixione Seruatoris plane non conspiciebatur, et contra personam vel maxime in cruce conspicuam praeterire. 3) Quaeri etiam posset, num accurate dicatur, diabolum a Seruatore in cruce omnino victum et viribus suis spoliatum exhiberi, annon potius id demum in resurrectione

Christi

Christi eiusque in coelum ascensione factum sit, quibus nimirum Pater testis declarauit, omnia a Filio suo praestita esse quae ad Salutem hominum restituendam requirebantur. Sane posterius, quoad ego quidem video, magis conuenit aliis Scripturae Sacrae dictis e. gr. Rom. VIII. 34. Col. II. 12. 13. coll. 15. Phil. II. 9. 10. 11. Ps. CX. 1. coll. Act. II. 34-36. it. 1 Cor. XV. 20. 23. coll. 25. Ps. II. 7. coll. Act. XIII. 38. ss. * Et sane verba posteriora Gen. III. 15. commode ita reddi possunt: *Id ipsum* (semen mulieris) *perimet te* (diabolum sub serpentis figura praesentem) *in capite, postquam tu peremeris ipsum in calcaneo* (i. e. postquam tu per semen tuum seu filios tuos h. e. improbos et Iudaeos et Romanos cf. Io. VIII. 44. in mortis supplicium in cruce subeundum ipsum adduxeris). In hac enim terminabantur diaboli contra Seruatorem insultus, et morte perpessa viuificabatur ille a Patre suo et incipiebat aduersarios suos omnes, praecipue autem diabolum, subigere et quasi vinctos in triumpho producere. **

* Neque obstat Ebr. II. 14. vbi Apostolus affirmat, *Christum morte sua aboleuisse diabolum, qui potestatem mortis habuerat.* Etenim 1) mortem Christi respicit ita, vti fuit actu scil. non perpetua sed cum resurrectione coniuncta; 2) Si vel maxime ipsa morte Christi diabolus est deuictus, tamen vt talis in cruce exhiberi nobis non potuit et declarari. Nam nisi Christus ex hac morte resurrexisset, nulli scire certo potuissemus, diaboli contra nos potestatem subactam et peccata nostra abolita fuisse, adeoque nec firma fidei nostrae fundamenta iacta fuissent, teste eodem Apostolo 1 Cor. XV. 14. 17.

 ** Obi-

** Obiter moneo, verbum שוף quod praeter h. l. tantummodo Iob. VIIII. 17. et Pſ. CXXXVIIII. 11. occurrit, non adeo accurate verti: *conterere.* Etenim Arab. شاف ſignif. *perimere,* et adhibetur in lethali vulnere, quo quid inuoluitur et perimitur, tanquam a venatore ex inſidiis captante: Et nomen شَأُفَةٌ denotat *morbum peculiariter lethalem, letbum, mortem.* Igitur h. l. verſio ita debet inſtitui: *Ipſum* (illud ſemen) *perimet tibi caput* etc. (coll. Interpr. Danz. §. 15. VII.) vel ita: *perimet te in capite,* etc. (inſerto ſcilicet ב ante ראש coll. §. 180.) Quod autem ad poſtrema verba attinet: *poſtquam tu peremeris eum in calcaneo*, neminem, credo, offendi poſſe eo, quod futurum in ſignificatu praeteriti reddiderim, quoniam valde vſitatum eſt Hebraeis, eadem tempora in eodem commate adhibere, quum tamen pro noſtra loquendi ratione variis temporibus ſint exprimenda (cf. Interpr. §. 53. I. et 164. 1.) Denique et ipſius propoſitionis ſenſus, quem ei in paragrapho tribui, facile conſtabit, quum in memoriam reuocatur, dari in Oriente ſerpentes in arena, cui colore ſimiles ſunt, degentes, qui iuxta vias proſtrati hominum et praecipue equorum calces morſu venenato appetunt et quidem tam fortiter, vt equus, adeoque et eques ipſi inſidens, recidat, et vterque eo magis a ſerpente amplius vulnerari poſſit. Qui quidem morſus certiſſimam affert mortem, niſi ſubito allatis remediis veneni accepti vis infringatur. Fiat iam applicatio ad Seruatorem opera diaboli et improborum, quibus hic vt inſtrumentis vtebatur, in mortem quidem detruſum ſed omnipotentia Patris ſui coeleſtis e morte reſuſcitatum.

§. XXXI.

§. XXXI.

Quartum Argumentum est itidem VITRINGAE §. XIIII. et XV. ex Col. II. 14. 15. petitum, vbi ex analogia phrasium explicationem dicti Seruatoris Io. III. 16. confirmare studet. Sed, nisi me omnia fallunt, locus hic potius contra eum pugnat: quare et illum §. praec. in meam rem pertraxi. Etenim 1) Propositio haec: *Christus chirographum illud, quod in dogmatibus constabat, et contra nos erat, cruci affixit*, manifeste hunc sensum habet: Christus passionibus suis, quae morte, quam in cruce subibat, finiebantur, valorem sustulit maledictionum illarum, quibus alioquin homines sunt obnoxii, propterea quod ipsi legem diuinam transgrediuntur. Ille enim Seruator pro ipsis et loco ipsorum poenas has in se sumsit et luit, adeo vt ex lege non amplius damnentur, modo ipsius meritum fide apprehendant sibique attribuant. 2) Altera autem enunciatio, *quod spoliauerit Seruator et ludibrio exposuerit* τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας etc. quicquid etiam his vocabulis denotetur, aperte sese refert ad ea, quae v. 12. et 13. de viuificatione et resuscitatione Christi dicta fuere, adeo vt locus hic confirmet veritatem illam, quod Christus resurrectione sua inceperit, diabolum eiusque asseclas victos exhibere et in triumpho exponere.

§. XXXII.

Quintum argumentum, idque VITRINGAE vltimum l. c. §. XVI-XVIII. ex 1 Petr. II. 24. desumitur, vbi Petrus ait: *Christus peccata nostra tulit in corpore suo in ligno.* Et ita quidem VITRINGA rationes subducit: „Quodsi Christus cruci affixus peccata nostra tulit in „corpore suo, sequitur, peccata nostra cum eo cruci „esse affixa, et quidem cum eo dimicantia, quippe quem „in hoc supplicium adduxerant. Iam vero peccata no-

„ſtra non poſſunt ſeparari a diabolo quippe vi legis et „peccatorum cum Chriſto dimicante ſed et victo in ipſa „cruce per mortem Seruatoris; Ergo Satanas cum Chri- „ſto cruci fuit affixus.„ Sed 1) Quodſi et totam ratiocinationem concedo, nihil aliud inde ſequitur, quam id, fieri poſſe, vt, quum Io. III. 14. de exaltatione Chriſti in cruce ſermo eſt, reſpiciatur ad diabolum cum ipſo cruci affixum. 2) Non accurate dicitur, peccata noſtra eſſe cruci affixa. Quis enim non videt, in propoſitione illa Petri: *Chriſtus tulit peccata noſtra*, vocabulam ἁμαρτία poni pro poenis peccatorum? 3) Peccata proprie non dimicarunt contra Chriſtum, ſed dimicant contra peccatores. cf. Col. II. 14. et Chriſtus ſponte ſe dedit, vt pugnae huius exitum nobis felicem compararet. 4) Satis incommode dicitur, id quod tamen pro modo ratiocinationis dici debet, diabolum in corpore Seruatoris cruci affixum cum eo dimicaſſe. 5) Eadem et hic difficultas manet quae ad §. XXX. n. 3. fuit notata. Hinc facile, ni fallor, liquet, argumentum hoc altius petitum eſſe, et plane id non probare, quod probare debebat.

§. XXXIII.

Sed reuertendum eſt ad S. V. HVTHIVM, qui praeter illas rationes a VITRINGA allatas plures alias adiecit, circa quas igitur etiam nonnulla pro ingenii modulo liceat monere. *Sextum* igitur argumentum, quod ſexto ſeptimo et octauo HVTHII comprehenditur, huius eſt tenoris: Deus cultum diuinum vitulo praeſtitum ſeuer- „rime puniuit Exod. XXIII. et praeterea omnem idolola- „triam ſerio interdixit; Ergo ſerpens aeneus in typum „Chriſti non potuit eſſe ab ipſo conſtitutus, praeſertim „quum diabolus ſerpentis figura a Gentibus cultus ſit. Reſp. 1. Non demonſtrauit Vir S. R. ſerpentem a gentibus

tibus pro imagine diaboli habitum fuisse, quum ab ipsis coleretur; neque eo, quod Aesculapio serpentem assignarent, cultum ipsi praestabant diuinum. 2) Aliud est, Deum infinitum, inuisibilem nec vllius creaturae imagine exprimendum sub figura aliqua et in idolo prosequi cultu diuino; aliud obiecti alicuius repraesentatione mente quasi transferri ad cogitationem Seruatoris. Quodsi enim in hoc negotio ita ratiocinamur: Quam vere DEus ex benigna sua promissione eos, qui a serpentibus lethaliter vulnerati sunt, sanauit mirabiliter, simulac mandato suo morem gerentes serpentem aeneum aspiciebant, tam vere peccatores a morte spirituali et aeterna liberabit, simulac, quemadmodum praecepit, Christum Seruatorem fide amplectuntur; plane non video, quomodo id pro cultu serpentis aenei idololatrico haberi possit. 3) Sed ponamus, subesse aliquid idololatriae in hoc negotio, tunc sequeretur, iuuencum et hircum in festo expiationis in sacrificium oblatos idololatrica ratione ab Israelitis cultos fuisse. Eadem enim est ratio. Dices: Israelitae haec animalia non ita considerarunt, ac si ab ipsis peccatorum remissio proficisceretur. Respondeo: Neque hac ratione ab ipsis serpens aeneus siue potuit siue debuit considerari, ac si ille medelam afferret vulneribus suis; sed, dum oculos dirigerent in ipsum, fiduciam mentis collocabant in Deum, qui solus morbum hunc, cui naturalia remedia tum afferri non potuerunt, sanare poterat. Et aspectus ille fieri tantum debebat vt effectus et testimonium huius fiduciae et obsequii mandato diuino praestandi.

§. XXXIIII.

Argumentum *septimum* seu S. V. HVTHII nonum: „Serpentum vrentium repraesentatione adducimur ad „cogitationem diaboli, pro cuius symbolo ex Gen. III.

„ 15.

„ 15. ſunt habendi; ergo eadem cogitatio aſpectu ſer-„ pentis aenei excitari debet; Ergo ille non poteſt pro „ typo Chriſti haberi. At vero 1) Nondum demonſtratum eſt, cherſydros illos in hoc negotio in typum diaboli a Deo fuiſſe conſtitutos: cf. dicta §. XXVIIII. n. 2. 2) Neque ea, quae in hiſtoria lapſus occurrunt, id neceſſario requirunt, ob rationes ad §. XXV. nec non §. XXVIII. n. 7. allatas; 3) Quodſi etiam concedimus, cherſydros illos pro diaboli ſymbolo accipi poſſe, alia tamen prorſus ratio eſt in ſerpente aeneo quippe ſola figura externa ipſis ſimili, ceterum vero prorſus ab illis diuerſo. Cf. itidem ea, quae dixi §. XXVIIII. n. 2. 4) Si ſerpens exaltatus hoc loco vt ſymbolum diaboli conterendi debuiſſet ex intentione DEi ſpectari, cur quaeſo Moſes non fuit iuſſus, vnum ex illis cherſydris accipere et perticae affixum erigere? Nonne hac ratione ſcopus ille magis commode obtineri potuiſſet?

§. XXXV.

Argumentum VIII. ſeu S. V. HVTHII X. et XII. tantum contra eos directum eſt, qui affirmant, „ ſerpentem et in eo, quod figuram quidem cherſydro-„ rum, non autem ipſorum naturam, habuit, typum Chri-„ ſti fuiſſe, vtpote qui in ſimilitudine carnis peccati ap-„ paruerit, ſed ipſius peccati prorſus expers. Sed argumentum illud, quo haec comparatio recte et ſolide refutatur a Viro S. R. nimirum „ aliud eſſe: forma carnis „ peccati, aliud: forma diaboli; me plane non ferit, quippe qui ſententiam illam meam non facio, vtpote memor eorum, quae §. XXVI. de ſimilitudine inter ſymbolum eiusque antiſymbolum non vltra ſcopum extendenda ſcripſi.

§. XXXVI.

Argumentum VIIII. seu S. V. HVTHII XI. „Serpens aeneus fuit serpens mortuus enecandi potentia „priuatus; Ergo non potest esse typus Christi mortui, „qui nunquam vt serpens vixit i. e. qui dum viueret, „nemini damnum intulit.„ Sed 1) nego priorem propositionem. Serpens aeneus nunquam serpens verus fuerat, neque potentiam enecandi habuerat vnquam; 2) quodsi regerat Vir S. V. serpentem aeneum ex hac ipsa ratione considerari non posse vt typus Seruatoris, quoniam mortuum quid fuit, neque vnquam vitam habuerit, respondeo: et vaccae rufae cinis mortuum quid fuit purificandi vi destitutum: nihilominus ille typus fuit sanguinis christi a peccatorum sordibus nos purgantis cf. Num. XVIIII. 9. coll. Hebr. VIIII. 13. 14.

§. XXXVII.

Argumentum X. seu S. V. HVTHII XIII. quum illa hypothesi nitatur, negotium exaltandi serpentis aenei pro explicatione proteuangelii habendum esse, tamdiu rem meam non subuertit, quam illa hypothesis non est euicta.

§. XXXVIII.

Argumentum XI. seu S. V. HVTHII XIIII. et XV. ita se habet: „Si serpens aeneus Christi typus fuisset, illud 1) in sanctuarium reponi et asseruari, neque 2) quum temporibus Achasi Israelitae cultu idololatrico illum prosecuti essent, ab Hiskia contundi sed pariter in sanctuarium afferri debuisset. Sed 1) Non valere videtur consequentia: Quoniam res aliqua non reposita fuit in sanctuario, illa a DEo in typum Christi constitui nequit. Praeterea multae aliae res aderant, quae

F Messiam

Messiam praefigurabant scil. operculum expiatorium, animalia in sacrificium offerenda, ipse sacerdos summus. Haec sufficiebant. 2) Serpens aeneus vt typus Christi tantummodo in hoc negotio seu in hac historia Num. XXI. relata est considerandus. Adeoque, quum ea finita ipsius vsus cessaret, illi per se consideratae non amplius symbolici quid inerat, neque ergo vlla erga ipsum reuerentia locum habebat. Et dubito adeo, an commode dicatur, ei in ipso hoc negotio reuerentiam praestandam fuisse ab Israelitis. Conf. enim a me dicta §. XXXIII. n. 2. Igitur Hiskias plane nihil admisit, quod indignum esset reuerentia, qui exhiberi omnino debet ipsi Seruatori optimo: nam illius symbolum tum temporis plane non fuit serpens aeneus. 3) Non potuit idololatria huic serpenti aeneo praestita ab Israelitis melius illis exprobrari, quam eo, quod ipse confringeretur et contunderetur, quum contra, quando ipsum asseruasset et religiose tractasset Hiskias, illorum superstitio aucta fuisset. 4) Neque exemplum ab arca foederis desumtum adeo multum contra me valebit, quam confringere sane non licuisset, etiamsi ad cultum idololatricum fuisset rapta. Ea enim per totum V. T. oeconomiam instrumentum cultus diuini erat, et continuo asseruabatur vt pars totius tabernaculi et templi quod, dum vetus oeconomia durabat, typus oeconomiae sub nouo foedere erat. Plane ergo alia est eius ratio ac serpentis aenei sub quibusdam tantummodo circumstantiis vt typus considerandi. Et sane, si nostris etiam temporibus superesset ipsa haec arca, eique a Christianis quibusdam idololatricus cultus exhiberetur, non video, cur non iure meritoque illa confringi plane et contundi possit.

§. XXXVIIII.

Argumentum XII. seu S.V. HVTHII XVI. XVII. XVIII. id agit, vt destruat fundamentum sententiae vulgo receptae,

ceptae, serpentem aeneum Christi typum fuisse, quo quidem destructo ipsam statim concidere putat. Fundamentum illud autem consistit duabus rationibus: *Altera* petitur ex aspectu serpentis aenei, cum quo sanatio coniuncta erat. Iam vero a diabolo sanatio illa spiritualis, cuius symbolum erat sanatio haec physica, proficisci nequit; Ergo serpens pro typo non diaboli sed potius Seruatoris est habendus.,, Optima sane sunt, quae regerit Vir S. V. nimirum sanationem non profectam esse a serpente ipso, sed ex gratia diuina. Quando autem addit: *ex proteuangelio*, iterum demonstrationem nondum datam postulare liceat, quod proteuangelium cum hoc negotio sit coniungendum. Praeterea facile totam hanc argumentationem mittere ego quidem possum, quoniam rationem illam priorem non tanti existimo, vt ex ea sola effici possit, quid praecise per serpentem aeneum praefiguratum fuerit, vt sit eius antitypus. *Altera* vero ratio, quae desumta est ex simplicissima illa dicti Seruatoris Io. III. 14. explicatione, quam cur sinistram appellet Vir S. R. plane non video, fortissima eaque vel sola sufficiens mihi videtur. Inquit quidem S. V. HVTHIVS, in hoc dicto pro *filio hominis* substitui posse *contritorem serpentis* ex Gen. III. 15. quoniam persona sit eadem. Sed alia est substitutio, si rem ipsam, alia vero si et verba eorumque nexum spectas. Quodsi enim ratio nexus vtriusque non habetur, concedo substitutionem. Sed conferatur connexio seu logica syntaxis. Hic, in paradiso, serpens est diabolus in serpentis figura seductor Euae, illic adsunt chersydri Israelitas lethaliter vulnerantes; hic serpens ille diabolus pro prauitate sua morali, et odio erga DEum et homines actus, protoplastos seducebat ad peccatum grauissimum, illic chersydri peculiari DEi directione adueniebant et mala physica, vulnera sc. lethalia, inferebant Israelitis poenarum et castigationum instar; Hic serpens, seu potius

diabo-

diabolus seductor a Messia erat perimendus in capite, illic Israelitis medela afferebatur, chersydris autem mali quid accidisse non legimus. Quae quidem sufficiant ad demonstrandam alterius loci ab altero diuersitatem, si totum eiusque partium nexum spectas. Ergo licet substitutio terminorum: *filius hominis* et *serpentis contritor* per se, quoad rem ipsam, non habita nexus, in quo vtraque haec expressio occurrit, ratione, fieri recte possit; tamen plane id fieri nequit in concreto, adeoque ratiocinatio Viri S. R. ex horum terminorum vt aequipollentium substitutione in dicto Io. III. 14. facta, me non ferit. Neque etiam tam horrendus ex nostra interpretatione huius dicti prodit sensus, quam Vir S.V. putat, dum ita a nobis verba reddi debere credit: *Quemadmodum Moses in deserto serpentem exaltauit ita, et filius* DEi, seu q. i. e. serpens DEi, *exaltabitur*. Etenim, vti semel atque iterum dixi, serpens aeneus proprie loquendo serpens non fuit, adeoque, quum illum pro typo Christi habemus, plane nihil Christo attribuimus ex eo, quod in serpentum natura obseruatur. Fuit corpus aliquod aereum, et per se plane idem erat, hanc an vero aliam figuram haberet: Cur autem hanc figuram prae aliis elegerit DEus, vt scrutando assequi nec necesse nec forsan possibile est. Quae quum ita sint, nondum mihi persuasum habeo, simplicissimam illam dicti Seruatoris explicationem vt sinistram reiiciendam, vt illam contra, quam cum VITRINGA affert HVTHIVS et commodiorem ei esse praeferendam. Manet ergo, quoad ego quidem sentio, fundamentum receptae sententiae nostrae adhuc firmum atque infractum.

§. XXXX.

Argumentum XIII. seu HYTHII XVIIII. eiusmodi est, vt ipsius tenorem non penitus perspexisse me lubenter confitear. Verba ipsius apponam: *Emphasis*, inquit, *est in articulo: τὸν ὄφιν, quam si in versione exprimis, et*

vocem

vocem ambiguam erhœhen ad significatum suum abiectum detrudis: vix alia in mentem veniet cogitatio, quam quae serpentem sistit seductorem. Id tantummodo monere liceat 1) quodsi et concedam, emphasin hic per articulum indicari, tamen non video, quomodo inde fluat, serpentem aeneum, qui ipse est ὁ ὄφις, pro typo diaboli esse habendum. 2) Neque perspicere possum, quid in exaltatione huius serpentis lateat ignominiosi. Et 3) si vel maxime ignominiosa fuit, quid inde contra nos sequitur, quum concedente Viro S. V. et exaltatio s. q. i. e. crucifixio Christi omnino ignominiosa fuerit?

§. XXXXI.

Argumentum denique XIIII. seu HVTHII XX. et vltimum aeque me non ferit ac illud, quod §. XXXIIII. attuli, quoniam arctissime cum illo cohaeret, et contra eos tantummodo pugnat, qui, ingenio plus quam par est indulgentes, similitudinem inter serpentem et Christum ostendere conati sunt, sed satis malo successu, quod Viro S. R. lubentissime largior.

§. XXXXII.

Sufficiant haec, quae adhuc in medium fuere allata, pro fine in hac tractatione a me spectato, vt nimirum ostendam, sententiam nostram de serpente aeneo Christi Seruatoris cruci affixi typo argumentis Virorum summorum nondum refutatam esse. Neque enim opus erit, vt cetera, quae in Programmate S. V. HVTHII occurrant, recenseam, quum ea partim contra HILLERVM quendam pugnent, qui ipsam hanc Viri S. V. sententiam impugnauit, cuius vero controuersiam meam non facio; partim ad historiam huius sententiae litterariam pertineant, partim vero in similitudine typi

cum antitypo pro hypothesi Viri S. V. ostendenda versentur. Quae quidem omnia quum ad meam rem non adeo multum faciant, facile iam mitti poterunt, praesertim quum breuitati studeam, et modum huic tractationi ponendum vt ne excedam, necesse sit.

§. XXXXII.

Haec scripseram, dum ab Amico quodam aestumatissimo monerer, argumentum hoc fuse etiam tractatum esse a Viro S. R. EBERH. DAV. HAVBERO in tr. qui inscribitur: *Ein Theil der göttlichen Absichten bey dem Creutzes - Tod des Heilandes, in einigen Betrachtungen über die Vergleichung desselben mit der von Mose aufgehenkten Ehernen Schlange* Ioh. III. 14. etc. Lemgouiae 1745. 4. Confiteor, me adhuc libellum hunc ignorasse; spero autem, fore, vt huius ignorantiae veniam facillime impetrem, quum ne S. V. HVTHIVS quidem, Vir alias in historia literaria versatissimus illum viderit: id autem ex eo patet, quod ne vnico quidem verbo eius fecit mentionem. Perlegi itaque tractatum, atque vidi, S. V. auctorem praecipue ab eorum sententia stare, contra quos adhuc pugnaui, in quibusdam vero momentis alio et peculiari modo sentire. Quod ergo ad ea attinet, in quibus ille Vir S. R. conuenit cum VITRINGA, HVTHIO cet. ea facile nunc mitti possunt, quoniam responsio ad ipsa in praecedentibus a me pro ingenii modulo fuit data. Ea autem, in quibus praecipue differt S. V. HAVBERVS, iam etiam in censum veniunt, et breuibus, adiecta mea qualicunque sententia, recenseantur, necesse est. Scilicet putat Vir S. V.

I. „Totam hanc disputationem esse inutilem, quoniam status controuersiae nec recte formatus nec idem „ab vtraque parte sit. Quod quidem ex eo pateat, quod „prioris et veteris explicationis fautores primi id tantum innuere voluerint, Seruatorem se comparasse cum

„serpen-

„serpente aeneo, non vero se vt eius antitypum consti-
„tuisse, licet ipsa eleuatio serpentis aenei pro typo cru-
„cifixionis suae ab ipso fuerit agnita. cf. l. c. Cap. VII.
„§. 7. ss. coll. c. V. 13. ss.„ Sed 1) id ex hac ratione admitti nequit, quia particulae comparatiuae ὅυτως et καθὼς in vno eodemque hoc loco non possunt dupliciter accipi. Quum ergo illae, concedente ipso Viro S. V. eleuationem serpentis aenei vt typicam indicent, necesse est, eandem ipsis vim tribuendam esse ratione obiecti eleuati i. e. serpentis aenei. 2) Ipsa rei consideratio hoc docere videtur. Etenim actio haec et obiectum, in quo versatur, i. e. serpens aeneus, tam arcte inter se sunt connexa, vt, vbi illa ad aliam actionem sc. crucifixionem typice est referenda, et hic serpens aeneus ad obiectum crucifixionis diserte expressum typice referatur necesse est. 3) Quodsi dicas, totum hoc Seruatoris effatum meram esse comparationem, neque quicquam typicum in eo latere, respondeo א) Id absque ratione sufficiente allata perhiberi, nisi forte id in medium afferatur, particulas comparatiuas praeter comparationem nihil plane innuere. Quod vero facile refutari potest per instantiam v. gr. Eph. V. 2. Gal. IIII. 29. ב) Id scopo contrariatur, propter quem Christus haec attulit. Scilicet Seruator optimus ostendere vult, fiduciam illam tenacissimam, qua *homines ipsius* pro nobis cruci affixi meritum sibi attribuunt, certissimum esse medium recuperandae gratiae diuinae, quoniam per illam morem gerimus omnem mandato et promissionibus eius, remota omni dubitatione et haesitatione. Quod quidem ex eo demonstrat, quia iam olim DEus in historia illa Num. XXI. 6. ss. commemorata hac ratione homines a morbo lethali laborantes sanauerit. Ergo Christus iubet, vt homines de hac fiduciae suae vi certo se persuasos habeant ex consideratione eius, quod in historia de serpentis aenei eleuatione, de fiducia in DEum plena cum aspectu eius coniuncta et

de

de effectibus eius sc. sanitate recuperata legitur. Ergo huius de serpente aeneo historiae consideratio excitare ex intentione Christi debet Christi cruci affixi et cum fiducia ad salutem aeternam impetrandam apprehendendi repraesentationem; Ergo illa pro huius typo a Christo constituitur, adeoque et ita a nobis accipi debet.

II. „Serpentem aeneum imaginem fuisse chersy„drorum. Atqui Chersydri typi fuerunt Satanae; Er„go serpentis aenei aspectu ad repraesentationem Satanae „victi quam Messiae adduci debuerunt Israelitae potius, et „nos etiam debemus.„ Vid. l. c. c. IIII. §. 6. 13. ss. it. 20. Respondeo 1) Propositio posterior pro axiomate accipitur, sed ex mea sententia non est. Vide a me dicta §. XXVIIII. n. 1. 2) Quod ad primam propositionem attinet, illa est ambigua. Vel enim significat: serpentem aeneum forma externa similem fuisse chersydris, vel: serpentis aenei aspectu repraesentationem chersydrorum fuisse excitandam ex intentione DEi. Sin prius, id nihil contra me; Sin posterius, ego quidem de eo tamdiu dubito quam firmis rationibus non est stabilitum. Non enim sufficit haec ratio: Quia obiectum A in vno sed perexiguo momento simile est obiecto B, igitur id eam ob rationem existit, vt illius repraesentatione ad huius cogitationem feramur. Accedit, quod multo faciliori negotio repraesentatio chersydrorum eorumque malignae et lethalis affectionis potuisset excitari, si DEus siue mirabiliter siue per Mosen vnum ex illis ipsis chersydris perticae affixisset. Neque credo, rationes eas sufficientes esse, quas Vir S. V. c. VIII. 1. attulit, vt ostendat, id maxime incommodum, et forsan adeo impossibile fuisse. 3) Non video, quomodo, chersydri fuerint victi per eleuationem corporis alicuius aenei figuram chersydri referentis?

Ceterum,

Ceterum, ſi alia quaedam forte occurrant in hoc libello momenta, quae hic in cenſum veniunt, credo, ea facile ex iis diiudicari poſſe, quae hac de re adhuc in medium attuli. Quare iis vberius excutiendis merito ſuperſedeo, quum breuitati ſit ſtudendum. Ceterum ingenue confiteor, me in eadem tractatione multa reperiiſſe ſolide atque eleganter tradita, pro quibus et ego Viro S. V. maximas debeo atque habeo grates, et habebunt omnes, qui in hac re, quae ſane maximi eſt momenti et cum ſalute noſtra aeterna nexu indiuulſo coniuncta, magis magisque erudiri cupiunt. Nihil ergo reliquum eſt, quam vt L. B. ea, quae ſcripſi, aequi bonique conſulat, et ſi quando lapſus fuero, ingenio ignoſcat et errores commonſtret, quo in poſterum ab iis cauere mihi poſſim.



NOBILISSIMO ATQVE PEREXIMIO

IVVENI

IO. LVDOV. SCHLOSSERO


S. D.

CAROLVS GOTTHELF. MVLLERVS.

In dulcem amicorum, qui TIBI, qui orbi erudito, qui patriae, de ſingulari, quam in noſtra academia partus es, doctrinae gloria gratulantur, ſocietatem me quoque venire amice iubes, AMICE DESIDERATISSIME! Atque etiam in cathedra philoſophorum, quam nunc conſcendis, eruditionis tueris laudem, quam in illuſtri, quae Ienae floret, Societate Teutonica TIBI adquiſiuiſti orator et poeta; inſimulque praeclaro TVO confirmas exemplo, elegantiorum litterarum ſtudium a ſublimioris doctrinae cultu, neque eſſe, neque facere quemquam,

alienum. Quod de TE augurari mihi licuit, quum TE primum salutarem Nostrum, iam ex voto euenisse laetus intelligo. Spem enim, quam de TE conceperam, fore, vt non elegantioribus modo, sed altioribus etiam, aliquando emineas studiis, iam imples, immo prorsus superas. Cuius partae virtutis publicum me esse posse testem, dum opponentis spartam mihi detulisti, laetor admodum; testis autem ero, quem dignitatis TVAE laudes, non vero amicitiae amor, reddunt eloquentem. Nec aliorum, multo minus amicorum, ille indiget commendatione, quem propria virtus, quem doctrinae pulchra commendant specimina. Quibus exornatus, quum omnium bonorum mereris, TIBIque IPSE prolixe concilias fauorem: neque mihi amplius quid relictum esse sentio, quam vt publice declarem, me quoque TIBI esse addictissimum. Vale, et, qua emines, gloria diutissime fruere! Scrib. Ienae d. XXVIII. Martii CIↃ IↃ CC LVIIII.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
RESPONDENTI
IOANNI LVDOVICO SCHLOSSERO
FAVTORI AESTVMATISSIMO
AMICO SVAVISSIMO

S. D. P.
PRAESES.

Neminem, credo, fore, qui miretur, me a TE petiisse, vt in cathedram philosophicam me comiteris atque disputationis actui publico nouum, idque pereximium concilies tua praesentia decus atque ornamentum. Scilicet hoc amicitiae atque fauoris tui in me vt rogarem documentum, reue-

reuerentia suasit, quam et beato Parenti TVO, Theologo, dum uiueret, summo, iam vero, quum inter coelites versatur, omnium consummatissimo et splendidissimae Genti WINCKLERIANAE debeo, cuius TV dignus existis cognatus; iussit autem amor isque tenerrimus, quo te sum amplexus, ex quo te videre atque penitus inspicere mihi datum fuit. Petii ergo, nec frustra id factum esse mirum in modum laetor; et, vti par est, gratissima mente agnosco. Etenim inde auguror, TE, VIR DOCTISSIME! et in posterum talem mihi TE praestiturum esse, qualem pro singulari et TVA humanitate adhuc exhibuisti, Fautorem atque Amicum in paucis aestumatissimum. Qua quidem certissima spe fretus futuri temporis cogitationem mente iam concipio suauissimam, quo post reditum in Patriam communem, quem TIBI maxime honorificum et felicem diuinor, amicitiae nostrae sensu praesenti et dulcissimo iterum afficiemur. Quod quidem vt fieri possit, Numen, quod in coelis est, benignissimum supplex oro atque obsecro, vt conatibus TVIS laudabiliter et cum felici successu susceptis porro faueat, TEque et erudito orbi et Patriae Illustri et splendidae Genti certissimum aliquando decus et ornamentum conseruet. De me autem ita velim statuas, vt non tantum ad quaeuis officiorum genera TIBI praestanda paratissimus futurus sed et amicitiae atque fauoris TVI memoriam eo animo semper sim seruaturus, vt nihil eorum negligam, quibus me amore TVO dignum magis reddere possim. Scripsi Ienae d. IIII. Apr. A. R. S. CIϽ IϽ CC LVIIII.



VIRO
NOBILISSIMO DOCTISSIMO

DEFENSORI

HVIVS LIBELLI DEXTERRIMO
FAVTORI AMICO
S. P. D.

M. IO. NIC. KIEFER.

Postquam ſtrenue adhuc et impigre litterarum ſacris initiatus es PRAESTANTISSIME SCHLOSSERE, iam demum, neceſſariis inſtructus, ingenium viresque expertum is, profectus, quantos feceris, feciſti vero maximos, publice demonſtraturus. Praeclarum ſane liberalis ingenii teſtimonium! Neque ego, quin ſis egregie dextreque praeſtiturus, vllus dubito, vel etiam poſſum dubitare. Ita enim ſemper cum Muſis verſatus es, vt nemo ipſis familiarior, nemo illis dignior TE vel adſcenderit in cathedram vel laudibus ornatior deſcenderit. Itaque gratulor TIBI, ORNATISSIME VIR, de hoc honore publicisque acclamationibus, quae mox TE magno plauſu excipient: et iure gratulor; primum, quod in his litteratis certaminibus exerceri in ſe pulchrum glorioſumque eſt; deinde, quod certamen ipſum cum vtile, tum hoc quoque praeſtans et inſigne eſt, quod ſemper inde honores augurari liceat. Nec minus id ipſum mihi dignum gratulatione videtur, TE tam egregium cum PRAECELLENTISSIMO PRAESIDE diſputationis argumentum nactum eſſe, quod quippe bene tractatum, gloria carere non poteſt. Itaque gratulor et OPTIMIS PARENTIBVS; et patriae item, diu clariſſimis nominibus inſigni, cuius rem TE aliquando egregie ornaturum eſſe confido; et mihi etiam, quod pulchram hodie occaſionem nanciſcor, publice TIBI declarandi, quanti TE et TVVM in me fauorem faciam. Vale dabam d. IIII. April. CIϽIϽCCLVIIII.

An

An des Herrn Adjunct Nöltings Hochedelgebohren.

V*ergieb,* o theuerster Freund, *dem Eifer der zärtlichsten Freundschaft,*
Wenn sie beinahe im strafenden Thon
Dich, *ob die Tugend* Dich *gleich mit starkem Arme beschüzet,*
Doch hart und grausam, und ungerecht nennt.

Ich weis, du vergiebst; denn Kaltsinn waer hier ein Fehler,
Und freundschaftlich Feuer ist Tugend und Pflicht — —
Kaum fand Dich *mein Herz, kaum ist die Treue beschworen,*
Kaum hatt' ich mit Freuden den Vorzug gesehn,

Den Dein *Verstand und Scharfsinn und Wiz vor vielen* Dir *giebet,*
Und den Du *durch Wissenschaften erwirbst;*
Und doch ist dis nur die schwaechre Seite des Bildes, noch schoener
Ist Deines *Herzens Groesse,* o Freund!

So hat Dich *mein Herz erst erkannt; schon fliehst* Du *mit eilenden Schritten,*
Aus der Freundschaft Umarmungen fort:
Und um den Schlag zu verdoppeln, wird Deine *Schrift noch ein Zeuge*
Wie viel mir Dein *Abschied,* o Bester, *entziebt.*

Hier scheinst Du *grausam und hart; doch* Dich *entschuldigt mein Herze — —*
Dir *gab Saline Wuerden und Ruhm,*
Auch diese Schrift *und ihre* Vertheid'gung *im Streite,*
Ist eine Quelle der Ehre fuer Dich.

So gehst Du *mit Ruhme bekroent in die erwartenden Arme*
Deiner BESTEN ELTERN *zuruek*

Die Freudenthraene fließt schon, schon eilt Dir Ihr *Segen entgegen*
Und neue Belohnungen warten auf Dich.

Dis ruft die Ruh in mein Herz, ich wein eine Thraene der Freundschaft,
So will es mein Herz, so forderts die Pflicht.
Denn seh' ich mit Freuden Dir *nach*, Du *folgst dem Befehle der Vorsicht*
In Hamburg *wartet ihr Segen auf* Dich.

Erdman Siegmund Basch.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
RESPONDENTI
FAVTORI ATQVE AMICO SVO
AESTVMATISSIMO
IO. LVDOV. SCHLOSSERO
S. P. D.
GEBH. FRIEDR. SASSE,
HOLSATVS
S. S. THEOL. CVLT.

In nouum nunc campum tendis. Non contentus de laude, quam TIBI iam dudum per specimina ad artes ingenuas pertinentia comparasti, ex Philosophorum Cathedra honorem quaeris. Gratulor TIBI de consilio TVO, certe persuasus, TE ex Cathedra illa cum maximo auditorum applausu abiturum esse. Nihil magis mihi est in optatis, quam vt omnia, quae in posterum conaberis, feliciter TIBI eueniant, eademque, qua me in hunc vsque diem amplexus es, beneuolentia atque amicitia nullo non

non tempore me perfrui velis. Ad me quod attinet, neque abitus meus mox ſequuturus, per quem ſuauiſſima TVA conſuetudine priuabor; neque vllum vnquam impediet quo minus TIBI ſemper ſim totus. Dabam Ienae III. NON. Aprilis. A. R. S. CIↃIↃCCLVIIII.

Permit me, Dear Sir, that even J may wiſh You Joy to the publick Proof, You are going to give again of Your known Ability. My Satisfaction is the greater, having obtained the Opportunity to tell You publickly, what has been ſo often the Contents of our friendly Converſations. J eſteem You, J love You. J wiſh nothing ſo much, as the Continuation of that Friendſchip, You have thought me hitherto worthy of. Grant me this, and be aſſured, that J never ſhall fail, to do all, what lies in my Power, to ſhew my ſelf not quite unworthy of it, an that J at leaſt never will ceaſe to be,

Worthy Friend,

Jena April the 3d
1759.

Your moſt obedient humble Servant
& faithful Friend
JOHN HENRY MEYER
Student in Laws out of Holſtein

Monſieur

Monsieur,

L'amitié que nous avons cultivée dès notre enfance, et qui, comme je l'espère, durera autant que notre vie, m'engage à Vous faire mon compliment sur l'occasion présente. Vous allez nous donner de nouvelles preuves de Vos progrès dans l'étude des Sciences. Je m'estime heureux, puisque Vous avez bien voulu me choisir pour l'un de Vos Opposants, de trouver de nouveaux sujets de m'instruire et de Vous admirer. Mais j'estime notre chère Patrie encore plus heureuse, de pouvoir se flatter de retrouver un jour en Vous le digne Fils d'un Père respectable, dont les vertus et le profond savoir méritoient de plus longs jours.

Tels sont, Monsieur, les véritables sentiments de mon coeur: Vous me ferez la grace d'en être bien persuadé, comme de la tendre et sincère amitié avec laquelle je serai toute ma vie,

Monsieur,

à Jena ce 3 Avril
1759.

Votre - très humble Serviteur
et véritable Ami

JEAN CHRISTOFLE GREVE

Hambourgeois
Etud. en Theologie.

